



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

**Hiob**

**Brenz, Johannes**

**Haganoæ**

**VD16 B 3079**

Cap. XXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36516**

ut resipiscat : quando crux resipiscentiæ schola sit ,  
 quemadmodum & Dauid sæpe precatur in Psalmo  
 ut impij inimici confundantur , Spiritus enim non ro-  
 gat , ut impietas non imputetur pro peccato , sed orat , Oratio cõtra  
 ut impio per confusionem & crucem impietas reuele inimicos , ut  
 tur , ne impietatem pro ueritate credendo pereat . Ita confusi resipi  
 & Elibu precatur Dominum , ut tãtisper Hiobem ad- scant .  
 fuzat , dum eruditus cruce , agnoscat suum errorem et  
 resipiscat : ait enim , Domine Deus , fac ut Hiobẽ nõ  
 prius à cruce liberet , q̃ suã blasphemiam agnoscat :  
 nunc enim conuertit se ad uiros iniquos , hoc est , im-  
 pijs similis efficitur , propterea quod suam iniquita-  
 tem excuset , & sibi quasi iure quodam licere putet ,  
 quequid contra Deum loquutus fuerit : adeoq; pec-  
 cata peccatis , blasphemias blasphemijs addit : quid igi-  
 tur optarem , nisi ut probe per crucem concutiatur ?  
 Si forte Domini uoluntatem per eam discat : dein ue-  
 ro , cruce affectus , contendat , uel in sempiternum cõ  
 Deo quã diu libuerit , ut mea autem fert opinio , si  
 paulo durius eum tractaueris , non libebit diutius ad-  
 uersus Deum insanire , & eius iudicia blasphemare ,  
 sed potius humiliatus ueniam precabitur .

## CAP. XXXV.

ANNOT. IN HIOB

**R**espondens Elihu, dixit,  
An istud existimas pro iudicio,  
quod dicis iustior sum Deo?

Quod ais, quis reputatur coram te  
quod proderit (si recessero) a peccato meo.

Ego respondebo tibi sermonem & ami-  
cis tuis tecum.

Aspice cœlum, & uide, & contempla-  
re nubes, altiora te sunt.

Si peccaueris quod facies ei? & si multipli-  
cata fuerint impietates tuæ, quid ages ei?

Si iuste egeris quid dabis ei? uel quid  
de manu tua adcipiet?

Viro tibi simili impietas tua (nocebit)  
& filio hominis iusticia tua (proderit)

AN ISTVD EXISTIMAS &c.

Obmutescente Hio, manifestius Elihu blasphemi-  
as eius proponit, dicēs. An istud pro iudicio existimas?  
hoc est, credis ne hoc uere & recte te sentire, quod  
pronuncias te, multo iustiozem Deo esse? nam quan-  
quàm hæc non conceptis uerbis protuleris, ea tamen  
est animi tui sententia, cum enim te iniuste & iniuste  
à Deo adfligi adseras, & Deum iniusticie adites quod  
ex hoc aliud conijci possit, quàm quod te iustiozem  
Deo existimares? Ad hanc blasphemiam addis aliam,  
Deum

Deum scilicet, non respicere iustitiam, nec quicquam  
 prodesse, etiā si quis ab iniquitate recesserit, ut supra  
 capite 9. Etiam si innocens fuero, deprauabit me, & Caro sic stu-  
 postea, si lotus fuero aquis niuis, & purificauero in pet ad præde-  
 fonte manus meas, tamen sordibus intinges me, id est stimationē &  
 innocētia & iustitia nihil profunt, coram Dei iudicio iudicium Dei  
 quid igitur iuuabit ab iniquitate recedere, & iusta ope-  
 rari? Sic Hiob manu Domini in iudicio destitutus sen-  
 tit, sic & impij quicq; sentiunt, Roma. 9. nam cum au-  
 diunt omnes tam pios quā impios, iudicio Dei ob-  
 noxios esse, & neminem posse aut cursu suo, aut uo-  
 luntate & conatu humano, sed sola Dei grātia, salu-  
 tem consequi, mox obijciunt, quid ergo de nobis con-  
 queritur Deus? agite, uiuemus pro libidine nostra:  
 utique enim iuxerimus, sententia Dei super nos la-  
 ta, non retractabitur.

## EGO RESPONDEBO TIBI etc.

Id est, quia Hiob falso, Deum calumniaris, quod Deo non com-  
 neminem iustū respiciat, aut parcat: igitur audi, ego modare iusti-  
 non tam tibi quā amicis tuis recta respondebo: prin- cia possumus  
 cipio, quod dicis iustitiam tuam non prodesse Domi- nec incommo-  
 no, adde, nec impietatem tuam ei obesse, uera loque- dare iniquitate  
 ris: altius enim est cœlum, quod est Dei sedes, altio-  
 res sunt nubes Dei habitacula, quam ut possis impie-  
 tatibus tuis, ea penetrare, & Deo incōmodare. Præ-  
 terea quum Deus sit omnium bonorum thesaurus,

Hb 6

ANNOT. IN HIOB

tantum abest, ut possis & aliquid tua iustitia cōferre, ut citius, mare uastum, unica aquæ gutula, auctius reddas, Psalmo 49. Non accipiam de domo tua uirulos, neq; de gregibus tuis hircos, quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, iumenta in montibus, & boues, Mich. 6. Nunquid offeram Deo holocaustomata, & uitulos anniculos? nunquid placari potest Dominus milibus arietum? &c. Cui igitur prodest humana iustitia? aut cui obest iniquitas? Sequitur.

VIRO TIBI SIMILI IMPIETAS &c.

Deo nihil obest nostra iniustitia, nec prodest iustitia, sed homini nobis simili, hoc est, prodest iustitia,

**Per iniquitatem nobis & proximo nocemus.** & obest iniquitas, nobis ac pximis nostris. Sūt enim duo opera, iuxta quæ Dominus iudicaturus est, scilicet, fides & charitas: utrūq; uero, nec tantillū quidē Deo confert. fides enim oīa bona à Deo adcipit, tantum abest, ut aliquid ei largiatur, ita & charitas proximum, non Deū iuuat. Cōtra, infidelitas nihil Deo incommodat, sed nobis potius, propterea quod per infidelitatem bona Dei prædicationē Euāgelij, nobis oblata, repellamus, similiter ΚΑΛΩΤΙΑ, cum charitate ex diametro pugnans, Deo nihil aufert, sed proximo nostro, quem præ nostri amore negligimus. Cur ergo Deus adfligit peccatores, si propter peccata hominū nihil suæ maiestati decedat? Ad hoc respōdet Elihu in fine capitis, dicens: iudiciū coram Domino est, nam etiam si

**Cur Deus puniat iniquitatem.**

etiamsi nostra iusticia, Deo nõ proderit, nec iniquitas  
 oberit, est tamẽ peccatores puniturus, tum quod per  
 infidelitatem suam ipsorum salutem neglexerint, &  
 bona misericordia Dei oblata, cõtempserint, tum qd'  
 sibi factum computet, quodcunq; proximo fecerimus  
 siue bonum siue malum, Zacha. 2. Qui tetigerit uos,  
 tanget pupillã oculi mei, sic enim habet uetus lectio,  
 Math. 22. Amen dico uobis, quatenus fecistis uni de  
 his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Propter multitudinẽ calũniantium cla  
 mabũt, uociferabunt a brachio magna.  
 Et non dicunt, ubi est Deus fa (tum.  
 tor meus, dans carmina in nocte.

Docens nos præ bestiis terræ, & præ  
 uolati cœli sapientificans nos  
 Illinc clamabunt, & non exaudiet, a fa  
 cie superbiæ adfligentium.

Profecto uanitatem non exaudit Deus  
 & omnipotens non respicit eum.

Etiam tu dicis, non respicis nos, iudi  
 cium coram eo est, & expecta eum.

Et nunc quoniam non uisitat ira eius  
 & non cognoscit iniquitatem multam.

Ideo Hiob uane adperuit os suum (&)  
 nulla scientia, sermonem multiplicat.

ANNOY. IN HIOB

PROPTER MULTITVDINEM &c.

Quod Deo non incommodet iniquitas humana  
 Impij conijciunt, partim ex tyrannide impiorum qui  
 miseri quicq; tantum non dilaniantur, partim e ualido,  
 sed tamen frustraneo clamore, uim & calumnias  
 patientiu, nam si quicq; Deo officeret hominum mali-  
 tia, quomodo posset tantam impioru tyrannidem tam  
 diu ferre? aut clamores iniqua patientium non exau-  
 dire? Vnde Elihu ait, clamant oppressi, & uociferan-  
 tur propter brachium, hoc est, tyrannidem magnatu  
 sed quia tyrannis non cessat, nec mox liberatur, ideo  
 non curant Deum, & contemnunt, ut sequitur.

ET NON DICVNT, VBI EST &c.

Qui enim tyrannide premuntur, clamant quidem, et  
 uociferantur aduersus oppressores, sed quia non cla-  
 mant ex fide, non exaudiuntur, non autem exauditi,  
 contemnunt Deum, neq; requirunt eum nam cu sint  
 impios, pro sua libidine in se miseros furere, conijciunt  
 Deum, non curare mortalia: proinde, eo contempto,  
 dicunt Flectere si nequeo superos Acheronta mouea

**Argumenta** bo. Atqui sic a Domino recedere, summa est impietas  
**presentis dei** quasi uero Dominus non dederit sufficientissima, pre-  
**in afflictione** sentie sue, in afflictionibus argumenta: primu enim  
 nos creauit, an qui creauit, in afflictione nos derelin-  
 queret? absit, qui enim nos fecit, idem ille est, qui &  
 nos fouet, conseruat, ac sustentat in omnibus aduersis  
 deum

dein, carmina dat in nocte, hoc est, Dominus excitat  
 in nocte, carmina & concentum autum, quo ueluti  
 aperto argumento, testatur se in adflictionibus præsen-  
 tem esse, & gaudio afficere, cor contritum & humi-  
 liatum: nox enim per sese, horrendis tenebris et alto  
 silentio, terrorem hominibus incutit: sed rursus, ter-  
 rorem mitigant, nocturni cantus autum præsertim lu-  
 scinarum, de quibus Plinius scribit, luscinijs, in quibus  
 diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus, si-  
 ne intermissu cantus, ita & adflictiones molestissime  
 sunt, sed rursus, consolatione Euangelij mitigantur.  
 Postremo, nonne & hinc colliges, nobis Deum præ-  
 sente ac fauentem, quod prona cū spectent animalia  
 cetera terrā, Os homini sublime dedit. cælumq; uide-  
 re, iussit & erectos, ad sydera tollere uultus: nā cum  
 bestias et uolucres sinxerit ἄλογα, nos homines ita  
 creauit, ut essemus sapientes, ratione præditi, & crea-  
 turarum domini, Gen. I. Creauit Deus hominē ad ima-  
 gem & similitudinē suam, &c. Quis igitur, hæc  
 alta mente considerans, in adflictionibus Dominum  
 non inuocaret, aut eius auxilium non speraret?

ILLIC CLAMABVNT &c.

Hoc est, impij à tyrannis oppressi, clamant, sed nō  
 exaudiuntur, propterea quod non ex fide, sed ex impa-  
 tiētia doloris clament, nec expectant Domini auxiliū si frustra cla-  
 mant. sed nisi mox liberauerit, ad alienos Deos cōuertuntur.



ANNOT. IN HIOB

aut desperant. Non igitur mirū, quod clamantes propter tyrannidē et superbiam adfligentium, non exaudiantur, siquidem Deus non respicit uana uota, nec omnipotens exaudit infidelem orationem.

ETIAM TV DICIŞ NON ꝙc.

*Impie sentit caro, Deū sua non curare.* Non solū ij, quos modo rensui, Deum propterea quod nō mox ut adfligātur, eos liberet, perfricta fronte contemnunt, uerum etiam tu Hiob in eodem impietatis luto hāeres, opinaris enim certo, Deum non respicere nos, nec curare quid nobis accidat, sic enim supra dixisti cap. 9. Si inuocauero ꝙ exaudierit me, non credo quod audiuerit uocem meam, ꝙ cap. 30. Si clama uero ad te, non exaudis me, si stetero coram te, non animaduertis me: quid autem hoc aliud est, quā abnegare Dei curam, quam in adflictos habet ꝙ promisit enim se adfore in adflictionibus: iam quum conscientia sentit eum absentem, non potest non negare Dei curam ꝙ sollicitudinem pro adflictis

IVDICIVM CORAM EO EST ꝙc.

Vel tandem respondet Elihu, non tam ad Hiobis, quā omnium impiorum sententiam, quā pronunciant Deum negligere res humanas, nec prodesse iusticiam, nec obesse iniquitatem, quandoquidem sinat, quæq; pro sua libidine ferri, ꝙ nec parcat iusticiæ, nec puniat iniusticiam, ait ergo: iudicium est coram Domino

Domino, expecta eum, hoc est, Deus nequaquam mortalia negligit, sed est uerus & iustus iudex, exequuti onem tamen iudicij sui, reseruat usq; in illum diem, quem solus nouit: expecta igitur tu, noli festinare, in fidelitas enim festinat, fides uero expectat: proinde, si expectaueris fide, uidebis tandem Dominum, gratitate supplicij, tarditatem suam, & in futuro seculo recompensaturum.

IDEO HIOB VANE ADPERUIT.

Id est, quandoquidem Dominus, non mox punit furore suo, tyrannos malos, ac quodammodo uide tur iniquitatem impiorum nescire, ob tolerantiam suam, nec continuo clamantes exaudit, ideo Hiob impudenter dicit, eum non respicere mala agentes, & contemptores non iudicare: atqui patientia, inquit, & expectatione opus erit: nam etiam si seruus ille malus, in Euangelio Matthæi 24. dixerit, in corde suo cunctatur Dominus meus uenire, coeperitq; percutere seruos, imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet tamen Dominus serui illius in die, quo non expectat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit ploratus & stridor dentium: ad eos autem qui à dextris erunt, dicit: uenite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis, ab exordio mundi.